


152 LYRICORUM



LIBER III.  
ANULARIUS LAPIS.

S I V E,

SICILIA TOTIUS ORBIS  
Terrarum Gemma,

CAROLI II. HISPANIARUM REGIS  
Digito Digna.

O D E . I.

**N**ondum rotantem spicula viderat  
Crete Dianam ; nec Semeleius  
Aut lyncas in Naxon Thyoneus,  
Aut bijuges Erycina cycnos,  
In hospitalem pepulerat Paphon :  
Cum jam curuli vecta diu CERES  
Plumâ cerastrarum ferebat  
Trinacriis sua jura campis.  
Tum sic , marito cum Venetam sibi  
Neptunus urbem posceret anulo ,  
Saturnus affari puellam  
Ut perhibent monumenta saxis

In-

Incisa; cœpit. Pulchra Jovis soror,  
 Meumque pignus, Diva? Vel Appulus,  
 Vel te Canopeis arator  
     Niliacus veneretur aris;  
 Cave sicanam Linquere regiam.  
 Decet, paternam cui dedimus plagæ  
     Servare falcem, te laborum  
         Artificem dare velle dextram.  
 Scrutare terras in teretem globum,  
 Torquemque ductas: si ferat ANULI  
     Dotalis Orbem curva moles;  
         Sicaniam speculata sedem,  
 GEMMAM putabis? quam vel iahospitam  
 Dedit rapinis provida Brutii  
     Cùm vellit è saxis propinquo  
         SCYLLA freto; refluasque jussit  
 Latrare spumas; ne violabilis  
 Pateret alnis. Tum quoque lividum  
     Natura nocturnis in hostem  
         Excubijs rubefecit ÆTNAM.  
 Scit hæc, protervum si videat semel  
 Nefas patrari, contremere omnibus  
     Jugisque, sylvisque, & profundis  
         ENCELADI reboare fibris.  
 Donec revulso viscere flammeas  
 Armet procellas dissilientibus  
     In tela saxis; & CYCLOPES  
         Cogat atrox furiare bellum.  
 Circum Triquetram Dorida pervigil  
 Figet timendas Æolus insulas

Mersurus audaces liburnas,

Siqua dolum meditetur Argo.

Nerea proles interea teget

Vicina ponti faxa corallis;

Quamvis reformidet Gigantis

Piniferi GALATHEA fraudes:

Et per tumentem vorticibus Thetin

Cuniculosis vecta canalibus

Declinet ALPHEI sequacis

Undivagos ARETHUSA raptus

Munit Sicanam deinde plagam triplex

Instar tridentis fulminei latus

Belloque conjurata cum LÆ-

STRIGONII CAMARINA turmis,

Invita avaro remige trajici,

Cum tacta foedam cominus evomat

Late mephitim, quæ procacem

Exitio populetur hostem.

Sic tuta Tellus Gemmea furibus

Intaminatam civibus educat

Ubique gazam. Scinde rupes,

Invenies maculosa stellis,

Auroque, faxi fulgura: divites

Hic & smaragdos, & viridi leges

Nitore beryllos, litumque

Purpureis amethyston undis.

Vel ipsa scenis versicoloribus

Trudunt Achaten fiumina, cui suum

Dedere nomen: quippe norunt

Iu radios glaciarē lymphas.

At quām metalli multiplicis ferax  
 Est ima glebis vena ? Vel aureo  
 Cratere flavesget PANORMUS,  
 Hesperidum paritura sylvas  
 Quas fulva ditant mala , sequacibus  
 Carpenda ramis : nam , vigilem licet  
 Sinu coērcebūt Draconem,  
 Innocuos feret ille morsus.  
 Linquet coruscos Oarion lares  
 Theatra ZANCLÆ cominus igneis  
 Ultro coronaturus astris,  
 Quā gemino dabit amne pugnax  
 Spectacula Nerēus : Zanclias hīc suas  
 Educet imo ē gurgite belluas  
 Charybdis , obsestura naves ,  
 Aut pugiles sine lege phocas.  
 Miraris uber fertilis areæ ,  
 Quod sortiuntur pingue Paliliis  
 MYLÆ ? Saginandum Phlegonteria ,  
 Et viduum Pyroenta frœnis  
 Huc sœpe ducet fessus anhelitu ,  
 Cursuque Titan. Testis erit Thetis  
 Visura labentem quadrigam , &  
 Penè simi glaciale fulgur.  
 Lyæus urbem , qua Cyane fluit ;  
 Pomona lucos , quos CATANÆ sacros  
 Curvabit autumnus ; solutis  
 Florâ comis hilarabit HYBLAM.  
 Non hīc ELORO Theffala præferet  
 Tempe Priapus : non Ephesum suo

## 136 LYRICORUM

Fons verecundo Diana,  
 Qui Cypriā semel haustus urnā  
 Nescit Falerno mergere virginis  
 Crystalla lymphæ. Nulla foret Jovis.  
 Vel ira bellantis Gradivi,  
 Ni steropes , sociusque Brontes  
 Huic fabra quondam pila Typhoëos  
 Ferrent caminis , cumque ocreis novos  
 Thoracas ; illi sulphurata  
 Sufficerent grave fulmen Ætnā  
 Hic concinentem saepius audiet  
 Apollo Daphnīm tum liquor **HIRMINI**  
 Ad plectra festinabit aures,  
 Finitima saliente lauru.  
 Vehere plaustris interea satas  
 Messura finges , quâ **GELA** Romulam.  
 Prospectat annonam , & retusam  
 Gaudet **ERYX** onerare falcem.  
 Quâ fervet **ENNÆ** fertilioribus  
 Tritura culmis , & Libycos vocat  
**SYMETHUS** in certamen agros,  
 Triticeo tumefactus auro.  
 Tuis nivosa fascibus insulam  
 Sternet **NEBRODES** , spumeus ostrea  
**PELORUS** , Hyblæos **PACHYNI**  
 Saxa favos , **LILYBEQUE** palmas.  
 Te pronus **ACIS** , te vitreo vocat  
**CRIMISTUS** alyeo : te **CEPHALÆDI**  
 Suspirat acclinata rupes,  
 Et famulis **AGATHYRSUS** umbram.  
Ne

Ne Creta centum gaudeat oppidis  
 Vallare frontem : Trinacrium latus  
 Hinc , & tricenis inde fultum  
 Urbibus , innumerique pictum  
 Pagi coronâ suspicies. Tuis  
 Sublimè fanis figet eburneas  
 Temone suspenso curules  
 Urbs AGRAGAS modulanda Graiis  
 Affine Pœno jam DREPANUM salo ,  
 Coralliorum sepe tricuspidem  
 Nerei coronabit tridentem ;  
 Teque , suis Panopea , thynnis.  
 Cur aut nivali præteream jugo  
 Senile NETUM , aut duplicitis HIMERAÆ  
 THERMAS locupletes tributo ,  
 Aut gelidas HIERONIS arces ?  
 Non Archimedis quadruplicem suo  
 Vel ipsa Memphis barbara patriam  
 Nilo coërcebbit : per immensam  
 Illa feret diadema molem ,  
 Graiumque Martem franget , & Italas  
 Terrebit alnos. Quin ubi Punicis  
 Exurget irritata turmis ,  
 Marmaricas mutilabit hastas.  
 Nam quæ Sicanis fulmina civibus  
 Negabit ardor bellicus ingenii ,  
 Æquè ac triumphalis Minervæ ,  
 Laurigeri sitiens Gradivi ?  
 Ubique palmas dives humus feret ,  
 Ubique laurus. In lituos Lyræ

Plerumque decedent; eritque  
 Mars sapiens, cataphracta Clio.  
 Quid plura Vates præscius eloquar?  
 Fruere GEMMA, quam tibi nec Jovis  
 Fraterna divellet cupidus,  
 Nec stygio gravis ære Pluton.  
 Quamvis adultam, cum violas leger,  
 Fuliginosus prædo Proserpinam  
 Furetur, anfractus per imos  
 Ad Siculam properatus ENNAM;  
 Ne luctuosum quæso tamen feras  
 Invita fatum, filiae; neu tuum  
 Scruteris errabunda pignus.  
 Tænarios reget illa Manes,  
 Plutonis uxor. Quin potius cave,  
 Ne, cum relicto conjugæ Thracias  
 Armabit ad bellum carinas,  
 Trinacrias tibi lædat urbes.

## ORION GLADIO EXARMATUS.

*Sive,*  
**D. IGNATIUS LOJOLA**  
 AD MAGNAE MATRIS  
 aramensem affigens.

### O D E I I.

**O**, Cui militat igneis  
 Nunquam pigra cohors ludere spiculis,  
 Di-

Divum Diva, tuo rovet  
 Nuper fulmineum Martis Iberici  
 Alcides GLADIUM tholo,  
 Post pulsa armigerae pila Druentia.  
 At non degener id metus,  
 Vel suasit fatuae languor inertiae:  
 Palmam nescio quam sicut,  
 Quæ sit Cantabrica major adorea.  
 Jamque in prælia Romulas  
 Attritus opes Rhenus inhorruit,  
 Dum pulchro refugam jugo  
 Arctos sponte comam subtrahit Albulæ.  
 Est telis potioribus  
 Hic armandus eques, prome adamantium,  
 Experterique rubiginis  
 Infanæ chalybem Diva; vel aureum,  
 Quo fretus Madianicos  
 Umbones Gedeon fregit, acinacem.  
 Nunc nunc æthereo fibras  
 Transfixus jaculo flagitat hostium  
 Encervare proterviam  
 Miles Romuleæ signifer infulæ.  
 Cui si nudus ORIONIS  
 MUCRO consuleret; num melius suam  
 Posset figere lucidam,  
 Quam sub Virgineo sidere, cuspidem?

\* \* \*

APO-

## APOLOGIA TEMPORIS

Sibi illatas ab improbis calumnias,  
justa quidem querimoniâ,  
diluentis.

## AD AMBROSIUM SATURNINUM.

## ODE III.

Pollui probris licet innocentem  
Orbitam Solis, vigilisque scenæ  
Dædalos cursus, agitante dextrâ  
Cœlite molem?  
Sic perorabat modo flentis ÆVI,  
AMBROSI, vulnus. Quod inops inertus  
Otij partas genitore motu  
Sortiar alas,  
Provocor Diris? simulant fugacem  
Esse Saturnum, cui sunt volucres  
Milvij dorso, solidoque fusi ex  
Ære molares.  
Ferream sceptri vice mentiuntur  
Erigi dextrâ quaiente falcem,  
Quæ fecet myrtos, & opaca magnis  
Brachia cedris.  
Tortili morsu religante caudam  
Fingor, ut serpens: potiore forsitan

Sym-

## LIBER III. 161

Symbolo dignum , poteram recurvo

Prodier auro.

Prædo prætextæ puerilis ostro

Dives appellor , caries juventæ,

Et pruinosis cinis in seniles

Profluus annos.

Helluo rerum , Lilitina laudum ,

Prodromus fati , furiale virus

Gaudij , currus vocor , & vagantum aperi-  
riga laborum,

Heu luto fictum genus , & cerebri

Pinguis hæredes ? Pyroënta vultis

Ut jugo solvam : profugisque fistam  
Flamina seclis.

Annuam votis : sed hyems tepenti

Nesciat pelli Zephyro ; nec æstas

Cedat autumno ; glaciem vel ignes  
Torqueat æther.

Non Eleusinis adolescat agris

Creditum semen ; nec amicus ulmis

Bacchus irrepat , liquidoque pingat  
Murice botros.

Nullus excudat simulacula Divum

Phidas : nullus rate metiatur

Adriam Tiphys : rota nulla segnes  
Findat arenas.

Nemo vitalem bibat usque , & usque

Spiritum ; pictis nec oberret agris.

Nemo non sese putet esse fixo in

Stipite funus.

Displi-

Displacent fata hæc , simul ipse terris  
 Cederem , stultis subeunda votis.  
 Et tamen nostro pluvias queruntur  
 Turbine rugas.

Vultis æternis fruticare lustris?  
 Quodque Naturæ vetuere leges,  
 Vultis æternas fore non caducis  
 Aëdibus urbes?

Ferte curvatis humeris perennem  
 Ismari molem , residemque totis  
 Artibus brumam , quatiente lœvo  
 Poplite fratrem.

Ferte decussos senio molares ,  
 Et procellosæ decumana tussis ;  
 Nec relaxanda è tumidis podagræ  
 Vincula plantis.

Justa vivendi series supremam  
 Transgredi metam refugit , migrandum est  
 Cuique ; cum jussos sibi jam peregit  
 Clepsidra Soles.

Scindor Harpyis tamen , execratas  
 Quod vecham terris hyemes , & ustos  
 Sirio menses : cupiunt perennes  
 Surgere Majos.

At satur nunquam foret imbre campus ;  
 Nec coqui possent fata. Quas December  
 Irrigat fruges , tenero saginat

Julius auro.

Jam patent fraudes , petiere veris  
 Non anhelatos Procyone menses ;

Quæ

Quò magis tellus foret ad Gradi vi  
Commoda ludos.

Floreos ergo juvenilis anni  
Flagitant gressus, ut aratra ducat  
Per triumphatas furibunda Martis

Dexterā turres;

Cum suburbanos populata sulcos,

Fumeā pressit Cererem favillā.

Inde captivis trepidare jussit

Flumina ripis?

Gentis heu stultæ vitio, recusum

Cogimur ferro tolerare nomen;

Cum Tagus nostras satiarit auro

Divite venas.

Cogimur fessis per humum cothurnis

Ire, tam densas tulit illa clades.

Quælibet gestat malè decolorem

Cynthia frontem.

Me Bias lino cohibente ranas,

Spiculo Cæsar fodiente muscas,

Hartabus vexat jugulante captis

Vimine talpas.

Nemo non ludis, choreisque segnes

Obruit soles. numerantur umbræ,

Queis super mensas videat redux Au-

rora lucernas.

O quis æterni speculator ÆVI

Vivat, ut fari queat hæc, propinqui

Fulmen ad fati! Mihi nunc sodales

Plaudite, VIXI.

## JACULA LAUREATA.

*Sive,*

De multiplico AMORIS DIVINI  
VICTORIA NUNCIUS.

AD P. JOSEPHUM LAURIAM  
Societ. JESU,

Drepanitani Collegij Rectorem, quem  
olim in Philosophia, ac Theologia  
studiis Ducem habuit Vates.

## ODE IV.

SAT vel Stagiræ; vel sapientiæ  
Sublimiori viximus. hospitum  
Nunc sub Cythæronis myricâ  
Posco larem, tenuemque cultum.  
Non, si recusem Palladium Sophos,  
JOSEPHE, & alti stemmata nominis.  
Frons nuda ferta est. Cuspidatis,  
Ceu Meroë pharetrata, septam  
Teli coronam fulcio crinibus.  
Tonantis hæc sunt spicula, bellicis  
Implexa lauris, post adeptam  
Multiplicem domito orbe palmam.

Au-

Augustioris præco potentiae,  
Ni fallor, adsum. Jam vigil in tubam.

Tetudo cessit nunc trophyæ

Quæ repetam, perarabis auro.

Ubique fixit Numen, & omnibus  
Vexilla lustris : huic rutilas dedit

Chiron sagittas ; huic Orion

Ignivomum properavit ensim,

Prior Tonantis gloria dexteræ

Fregit vetustæ colla superbiæ,

Luctantis affectare summam

Trans apices Aquilonis aulam.

Tum visa pubes Martia lucidis

Fixisse pilis monstra volubiles

Induta spiras ; quæ latratus

Icario simulatus igni,

Leoque fulvis terruit unguibus :

Donec coruscis pulsa novalibus

Latè cruentarunt resectas

Sub piceo Phlegetonte cristas.

Dein fractus hydræ livor, ubi dolis

Obsedit Evas : sed male credidit

Rictus cerastrarum : & premenda

Virgineis aconita plantis.

Non sic Erythræ est mersa rubentibus

Hastata memphis fluctibus, ut Stygis

Satelles, enervesque turmæ

Nazareis periere rivis.

Trunci trabalis fixus Amor toro

Lethæa vicit pila Proserpinæ,

Parcasque , Ditemque ; & Charontis  
     Lucifugam tremefecit alnum.  
 Tum lapsa Cælo spes adamantinis  
 Adulta seclis , terrigenis putres  
     Evertit , æternaque fovit  
     Auspicio potiore curas.  
 Occulta regum gaza fuit jubâ  
 Thorax equinâ textus ; & aureæ  
     Qui pellat accessum coronæ ,  
     Vulnifico paliurus hamo.  
 Quocunque fasces , & trabeam foro  
 Astræa fixit : nec venerabiles  
     Inter catapraetam Gradivi  
     Sævitiam siluere leges ,  
 At non , Enyo siqua ferox Jovem  
 Deumque turpes extulit infulas ,  
     Intaminatis pulsa cessit  
     Religio solymæa fanis.  
 Frustra bipennes in Latiam fidem  
 Unique morsus , & radios rotæ ,  
     Ferasque , saxorumque nimbos .  
     Et sicuti bovis æra prompsit  
 Neronianæ pulpa ferociæ .  
 Vicere Divi suspicentium  
     Vulgus tyrannorum recenti  
     Cæde rubras viruisse palmas .  
 Cum nulla torvam sica satellitum  
 Armavit iram ; non procul abfuit ,  
     Quæ fregit Heroum lacertos  
     Sanguineis Metanœa flagris .

Quā

Quà vergit Arctos , quaque fremit Notus,  
 Eurusque , & Afri terror anhelitus ,  
 Ludo triumphalis palæstræ  
     Vidiinus emicuisse laurus ;  
 Passimque fractam ftere Cytheridem  
 Hinc , & revulsis inde curulium  
     Pennis columbarum ; & profani  
     Seminecem sine crine luxus  
 Jacere fastum. Vidiimus aureos  
 Fumare torques , & Babyloniam  
     Mergi paventem luctuosis  
     Gurgitibus fluitare gazam .  
 Hinc auspicatis Relligio rotis  
 Morum nivalem duxit adorem ,  
     Torvasque Plutoni secures  
     Edomuit volitante hedâ .  
 Adhuc ruinæ pondus , & angulam  
 Temoris horret Tænarus. Ut latrat !  
     Hydrasque , compellitque Diras  
     Succiduis ululare spiris !  
**JOSEPHE** , pauca hæc. pauca etiam cani  
 Trophæa laudum debita Numinis  
     Possent ; fatigaturus Austros  
     Præco licet foret ipse Stentor .

): ( o ) : (

SCYLLÆ

## SCYLLÆ LATRATUS.

*Sive,*

Pravæ conscientiæ supplicium.

AD HELIODORUM FUSCUM.

ODE V.

**C**UR rerum mediâ tecum ululas, FUSCE,  
malaciâ;

Tanquam si fatuâ nube ruens turbo liburnicam  
In syrtes ageret? parce metu, contudit Æolum,  
Quæ fortuna tuis stravit aquis Halcionum dies.  
Quàm nil læta juvant, cùm Siculo deterior  
fretò

Intus culpa tonat! vel Tyriis Morpheus stra-  
gulis,

Et Pelusiacas mordet opes. nil adamantinum  
Injecisse juvat vulnificis faucibus objicem;  
Quo rictum reprimat. Turpè furit, seque mi-  
nax petit;

Ultrix nempe sui est. Cùm jugulum non habe-  
at, latrat;

Et cùm sit geminis capta oculis, è gemitu  
patet.

NAVIS

## NAVIS INCENDIARIA.

*Sive,*

CONCHA VENERIS terrarum  
Orbem incendens.

## ODE VI.

Ut cunque vatum concilio pedem,  
Jubente Phœbo, fiximus; eloquar  
Quod erubescendam Camœnus  
Incutiat, solioque Pindi  
Labem pudoris. Vinctus aheneâ  
Cur heu Prometheus compede plectitur,  
Diræ immolaturus volucri  
Exta suis rediviva fibris?  
Exasperatum forte rear Jovem,  
Quod ausus astris innocuâ manu  
Auferre fulgorem favillæ,  
Quâ luteos animaret artus?  
At sæva nullam fert Nemesim Venus,  
Quamvis ab imo Dite revellerit  
Vectes Vesevis, & profanâ  
Diluvie tumularit Orbem.  
Quin illa canis edita fluctibus,  
Ne pecet igni, creditur; & sinu  
Adultâ spumarum, per undas  
Ceruleâ fluitare CONCHA;

H

Cui

## 170 LYRICORUM

Cui blanda figant oscula Gratiæ,  
 Retroque risus , atque hilares joci , &  
 Lenes Voluptatum choreæ  
 Obsequium famulare solvant.  
 Tum compta rubris saxa corallii,  
 Motæque plausis portubus insulæ .  
 Visæque subsultare phocæ  
 Ad liquidum modulamen undæ.  
 Heu fabulosæ lora licentia  
 Coercentur. Siccine consulit  
 Larvata fuligo pudoris  
 Ingenio , aurifluamque venam  
 Poscentis ævi ? Cyprida flammeis  
 Vagisse cunis constat . & horridæ  
 Inter chelydrorum papillas  
 Gorgoneum rapuisse virus ;  
 Exinde fractâ jam Styge , Cyprios  
 Tranasse fluctus : donec in omnium  
 Tractus arenarum propinquam .  
 Quà Paphiam jacularet Æthnam .  
 Egit carinam. Mitius impulit .  
 Urgente dextram patris adorea .  
 Auriga demens , trans meatus  
 Æthereos Pyroëntis axem ,  
 Læsitque Divum limina ; quam Venus  
 Adussis Orbem. Tantalis Illion ,  
 Haud hostis effracto revellit  
 Cardine , supposuitque tedas .  
 Briseis Argos , Itala Punicas  
 Pellex catervas , & juga Phocidos

Fatale succussit Theano  
Belligeris male rapta thebis.  
Nondum liquentes Thessala fregerat  
Pinus procellas ; nec per Atlanticam  
Audax Columbus Amphitritam  
Irruerat : tamen irreptas  
Urbesque , & altas Idalis insulas  
Afflarat alnus, fumea ferbuit  
Arctosque , Nilusque , & remoti  
Cum Zephiri lare , limen Euri.  
Adhuc venenum gliscit , & obvio  
Inserpit æstu. Mars Venerem juvat  
Tristi saginandam favillâ,  
Fulminei per hiulca belli.  
Nessus sagitâ sternitur ; Hercules  
Flagrantis Oetæ procubuit pyrâ;  
Suisque terretur cruentis  
Deiphobi levis umbra plagiis.  
Infamat ultro Leucadis asperum  
Sappho cacumen : Belias Ilium  
Immergit in venas mucronem , &  
Pyrrhus ob Hermionen propinquas  
Incestat aras. Jam fatuo Venus  
Nupsit Gradivo : cui Cythereium  
Dotale vestigial marito  
Bella toro , peperitque cædes.  
Quin & Lyæus forte Cytheridem  
Complexus , inter Bassaridum choros,  
Uvasque , Nyseumque fastum , &  
Pampineas calefecit hastas.

Illi volentes in pharetræ minas  
 Apollo crinem vertit ; & aureo  
 Illapsus imbri per rubentem  
 Jupiter Hydrochoum , Dionem  
 Sensit tonantem. Sub rutilâ later  
 Dolus procellâ. Fulvus agit fragor  
 Ubique cladem ; quâ putrescant  
 Lilia Parthenijque veris  
 Adulta Cœlo germina. Proh furor  
 Bacchantis Orci ! Nuac age lacteum ,  
 ☩ Diva stellarum choreis  
 Naëta comam , implicitasque suras ,  
 Inverge rorem. Secula fumeas  
 Agant quadrigas ? Flagret adultera  
 Tellus , profanatique fluctus  
 Idalio famulentur igni ?

---

AD ADIANTUM ,  
 Ut CHRISTI INFANTIS PRÆSEPE ,  
 Quod VATES artifici pumicum  
 structura , rivo inter saxa  
 dilabente , condiderat ,  
 obumbraret .

## ODE VII.

MUscosa pluma fontium , crystallinos  
 Inter adulta toros ,  
 Et fluminum crepidines ;

RE-

ORUM  
LIBER III. 173

Ruris venustas, Naiadum smaragdinis  
Pendula vitta comis,  
Vernansque rophis bractea;  
Utcunque fusci brachiis corallij  
Explicuisse juvat  
Dotale vellus crinum;  
**BETHLÆA** te vult Dædali Vatis **SPECUS**;  
Quà docet exiguum  
Plorare **N U M E N** pumices.  
Huc delicati caudicis ferruginem,  
Nec sine fronde caput  
Flexamque ducas, infulam.  
Tuâ puillus vagiens umbrâ potest  
Conciliare suis  
Longum soporem palpebris.  
Sic nec comati sauciet fastus mitram  
Turgida bruma Notis:  
Nec lædat igni Sirius.  
**A**t si Tonantis lactei fletum bibet;  
Frons tibi picta novis  
Pubescet unionibus.



PANORMÆA HUMANI  
VULTUS ICON,

In suburbanis rupibus usque ad sum-  
mum artis apicem naturaliter  
expressa,

Quam, veluti PANORMITANA  
HUMANITATIS indicem,  
Vates agnoscit.

*In gratiam Illustrissimi Dom.*

D. PETRI DE CASTILLO  
Marchionis S. ISIDORI.

O D E VIII.

Q Uisquis huc curvâ veheris liburnâ,  
Hospes ERCTÆÆ speculator URBIS.  
Quæ sibi vinxit sicolam decorâ  
Fronte tiaram,  
Parce sicanam stupuisse Memphis  
Astra turritis humeris, & alto  
Crine lambentem. Potiora fert spe-  
ctacula campus.

In suburbanam tumuisse visus  
Montium scenam, suus hic inhæret  
Spiritus saxis, animante miram  
Rupe Figuram.

Atti-

Atticæ nondum simulacra Divæ  
Phidias fuso solidarat auro:  
Nec Myron vaccæ prope mugientem ex-  
  preferat iram:

Scalperat molem tamen hanc jocosæ  
Dextra Naturæ : rudibusque sensim  
Artibus mollem dederat reciso è  
  Pumice vultum.

Flecte quæ signat tibi collis Austros.  
Flecte palpebras : patefacta fabros  
Inter anfractus juvenilis Umbræ oc-  
  curret Imago.

Arduus canas , viden , ut pruinæ  
Dividat vertex ? ut agat retrorsum  
Pensiles , juxta fruticante collum  
Cespite , crines ?

Compta majestas Jove gratiorem  
Explicat frontem. Charis ipsa blandis  
Excubat malis , tenerumque vibrat  
  Lumine sidus.

Tetricas inter generata cautes  
Ridet ; elinguem fuge suspicari :  
Cominus notis solet alloquentum  
  Vocibus uti.

Tam verecundi tamen est pudoris  
Pertinax , ut se refugâ seorsum  
Subtrahat formâ ; det amica si quis  
  Oscula clivis.

Eminus nosci cupit : ad propinquos  
Fiet obtutus salebrosa rupes ,

Quæ Polycleti simulacra nuper  
Vicerat ICON.

Saxeī fastus humilem galerum  
Respuit cervix : redimitur astris.  
Quæ renodatos Ariadna circum-  
flexit in Orbes.

Tacta stellantis thiaso corollæ  
Durat Arctoum Boreæ fragorem;  
Nec pavet fronti pluvias senili  
Pondere rugas:

Calluit nimbis facies : per omnem  
Floruit vellus juvenile brumam,  
Et fluens nunquam volitavit Euri ad  
Flabra capillus.

Siste : nec jussum prius è carinâ  
Efferas gressum , tibi quam salutem  
Annuat. Novit caput hospitali  
Flectere ritu.

Quin ORETEAM tibi pandit arcem,  
Teque longinquâ comitatur umbrâ :  
Neve , te ludat , fugiatque perstat  
Semper ibidem.

Quos PANORMÆIS placuisse credas  
Civibus mores , facileisque vultus ;  
Cum vel Humanos quoque sortiantur  
Marmoræ sensus ?

\* \* \*

TUR-

## TURTURIS GEMITUS

In funere P. STEPH. TURTURETI,  
Societ. JESU,

Rectoris olim Collegij Messanensis.

## ODE IX.

Fusas Caystri margine candidas  
Odi querelas, perque comantium  
Opaca sylvarum theatra,  
Exiguo modulata rostro  
Thresiae volucris carmina. Me suo,  
Me TURTUR udo mulcet anhelitu.  
Fleturus incassum supremam,  
Quam fugiet redivivus, urnam.  
Nam, quâ Pelori sylva cupressinam  
Heu TURTURETI Manibus extulit  
Umbramque, luctantemque cono  
Pyramidem superare nubes,  
Errabat ales, præfica næniæ,  
Quæ confluentum examen Oreadum  
Scyllæque latratum coëgit  
In querulos abiisse luctus.  
Jam jamque murmur flebile sic piâ  
Confudit irâ. Nullane corrigit  
Habena Parcas? Nulla torvam  
Exagitat Metanœa Lethen?

Inexpiatas haud Neimesim pudet  
Perferre labes? s̄e viit Arropos.

Meumque deletura fidus

In STEPHANUM Libitina tristem  
Contorsit hastam. Debuerat tamen  
Sopire vestram fata proterviam,

Fulmenque vates suetus olim

Ismariā cecinisse buxo,

Nexamque fronti ducere lauream.

Quamvis soluta compede Phocidos,

Sublime molitus loqueland,

Aurifluis pluit ore nimbis.

Ille eruditis fervere jurgiis

Solerter audax, crevit in exedram

Atlas Stagiræ, donec altam

Inseruit super astra frontem,

Puræque lucis fulgure compulit

Sacer Promethæus vivere Palladem.

At nunc sepulrali feretro

Funereum bibit ille noctem.

Astræa libram num quatit, & suam

Themis tiarain? ne, precor, uidos

Augete fletus: nil moratur

Exanimes mea cura questus

Sat ille mitem sedulus imperi

Tractare clavum, pratulit æmulum,

Lenimen, Ignatique Patris

Effigiem, facilemque risum.

Severioris legibus eloqui

Infudit Hyblam, probus in omnium

Abire complexus , & uni-  
cuique sagax abolere curas.

Proh quantus Heros , nec penitus sui  
Compos pependit Numinis osculo !

Divina sortitum putares

Conjugia , æthereasque magnâ  
Tedes Amoris. Testis ab aureâ  
Collecta morum dote modestia , &

Vivax verecundi pudoris

Virgineo satus ore fulgor .

Nunc pallet eheu , saucius algidâ  
Pallet sagittâ. Quid loquor ? induit

Mors sola pallorem , suosque i-  
rata graves malè fregit arcus.

Non , fulta dorso nubis , & igneo  
Temone Divûm , turpiter occidet

Virtus , coronatum clientem

Quæ niveis jubet ire bigis ,  
Sistitque Cœlo. Quò rapior , vagâ  
Ferorque plumâ ? cedite saucii

Luctusque , mœroresque. motis

In numetum tonat Æthra stellis .  
Hæc dum canebat rustica funebri  
Siren Camœnâ , visa flagrantibus

Ardere guttis , & suo Thau-  
mantida sustinuisse collo ,

Pictumque flammis vertice Phosphoron  
Mox innocentes in liquidum æthera

Deflexit alas , sic cupressus

Deseruit cubitura palmis.

HASTILUDIUM  
FORTUNÆ, ET PATIENTIÆ.  
AD CAROLUM FULICAPRUM.

# O D E X.

Nullo

Nullo palma deest pulvere, quo viret  
 Posse, & velle magis pati.  
 Si Fortuna tuis nobilis imperi  
 Dotalem digitis inferat anulum;  
 Nupturam trabeis subtrahe, quam modo  
 Preflas vomiere, dexteram.  
 Proscissurus humum paupere sarculo,  
 Quam frontis lacryma saepius irriges,  
 Ridebis veterum sceptrorum Quiritum,  
 Stultae ludibrium Deæ;  
 Quod solvas valido forte bovi jugum,  
 Fortunæ injicito. ludere destinet;  
 Quamvis pro stimulo fortiter urgeas  
 Viæ fragmina lanceæ.

## UNIO NEQUAQUAM

TACTUS IGNE, SED RORE.

Sive,

VIRGINEI CONCEPTUS  
innocentia.

## ODE XI.

Muta Pompeii simulacia lœves  
 Asperent baccæ? Latias secures  
 Et profanatas Erythræa pingat  
 Gemma tiaras?  
 Horruit fuscum vitio nivalis  
 Calculus fastum. decet innocentis

Ingeni cultum , vacuamque labis  
Unio frontem.  
Ille nec tristem babit è trisulca  
Fulminum caudâ maculam , nec atra  
Nubis afflamen , quod inaurat albis  
Vulnera conchis.  
Rore gemmascit , tenerumque risum  
Debet Auroræ lacrymis ; sinistrum  
Respuit , nullo temeratus astri  
Crine , ruborem :  
Ergo te poscit , niveaque cunas  
Lac Erythræe solidum papillæ ,  
VIRGO ; cui purum maculâ recudit  
Fabra Tonantis  
Cura vagitum , radiisque primos  
Imbuit soles. Tibi nunc choreas  
Inter astrorum , sine Diva lambat  
Bacca capillos.

LÆLIUS CHRISTIANUS  
AMICITIÆ FINES AD ARAS  
usque decernens.

O D E X I I.

**Q**uemlibet fidum Pyladem lacertis  
Arctius stringas licet , ilicetum  
Quam premat smilax , vel adunca nodes  
Fibula gemmam ;

Ne

Ne tamen laxos sine pulchrioris  
Vinculi morsus , quibus aut Honesti  
Cultus , aut Divum pietas avito  
Negetur auro.

Trans sibi fixos Amor Evagatus  
Cœlitum fines , ruit instar amnis  
Haud coërcentis tumefacta notis  
Cornua ripis.

Clauderet vellem geminos ahenus  
Carcer , in charum quoties sodalem  
Bruma fortunæ tonuit , sed inter  
Fulmina laurum

Nesciam labis , vitiique servet  
Cauta libertas animi. Pericles  
Resputit fœdus sociale sufful-  
cire piaclo.

Dulcè conspirant Amor , & severis  
Fascibus Recti famulare votum.  
Pectus infidum superis tricenos  
Faller Orestes.

Mulciber quamvis geminos in unum  
Conflet , aversas nisi flectat astris  
Ille cervices ; opus omne tacto  
Disfluet igni.

Ut suas callent elementa metas ;  
Nec Thetis jussam sibi vellit algam ;  
Nec peregrinis equitare norunt

Sidera claustris ;  
Sic AMICORUM genialis ardor ,  
Quò salutari calet favillâ ,

Fas inoffensum colat , hisque figat  
Oscula curis.

Has coronandas adamante leges  
LÆLIUS postquam tulit , auspicatum  
Poplitem flexit , digitoque sacras  
Attigit Aras.

## SIGNUM VIRGINIS INTER LEONEM , AC LIBRAM.

*Sive,*

Imago Pudicitiae.

### O D E XIII.

**H**ic penicillum frangat , & aucupes  
Uvas volantum Zeuxis aëdonum ;  
Nec curet æternis Dionen  
Cous honos dare velle lustris.  
Apelle culto cultior artifex  
Natura , Cœlo VIRGINIS Iconem  
Pulchrâ coronatam favillâ  
Dædaleis animavit astris.  
Vultus pruinæ subdidit arbitro  
Pudoris ostro , labra modestiæ ;  
Comæque depexæ flagrantem  
Implicituit radiis procellam.  
Viam cothurno sospite lacteam  
Stravit secandam : nec viduum latus

Cu-

RUM  
de figi  
cis.  
leges  
suplicium  
factus

LIBER III. 185

Custode , si vellet vagari ,  
Deseruit , famuloque cœtu .  
**Hinc** purpuratâ conspicuum jubâ ,  
Fixit LEONEM , qui Paphiam facem  
Terreret ; hinc stellantis Æqui  
Stemmata ; finitimamque LIBRAM .  
At hæc imago , sæpius aureis  
Refixa valvis , Parthenia subit  
Vultum juventæ ; si pudicâ  
Noverit evigilare tedâ  
**Castique** largum sanguinis exprimat  
Genis ruborem ; nec nisi liliis ;  
Albisque contextum ligustris  
Carpat iter metuente gressu  
Dolos rosarum . Vis Cythereiam  
Fractura pulchro Marte licentiam  
Absolvit invicti LEONIS  
Excubias ; Trutinæque pondus  
Dotale supplet sollicitus pudor ;  
Cui , ne quid unquam libra supercilî  
Pecchet , cavendum ; neve clausos  
Transfiliat vaga cura fines .  
En , quò supernis concolor ignibus  
Pictura terris afforet , & suam  
Quisquis decentem penicillo  
Multiplici lineret tabellam ,  
Quot promptit artes Virgineus labor !  
Pars è nivali frigore ; pars rapit  
E calce ceruслam ; cruento  
Pars potior rubefacta tergo

Furatur ostrum ; pars tenuissimo  
 Pallet salino , luce carentium  
 Pars clausa sylvarum tenebris  
 Artifices meditatur umbras,  
**Hic pro peritâ cuspidे , veprium**  
**Exercet hamos ; ille coloribus**  
 Densum liquefacturus aurum ,  
 Cote suum terit usque pectus.  
**Est quæ secandas , ne tabulæ tumor**  
**Porrectus obsit , Diva tenerimas**  
 Tradat papillas ? quæque fossis  
 Luminibus velit esse vivax  
**Amoris Icon. ardeat , ardeat**  
**Quisquis coruscæ stemmata VIRGINIS**  
 Referre , Divinique gaudet  
 Parrhasii simulare dextram.

---

### S I M I Æ P R O L E M S U F F O C A N T I S A M P L E X U S .

Perniciosa parentum in filios  
 indulgentiæ symbolum.

### A D M A R C U M T A N C R E D I N U M .

#### O D E X I V .

PULLIS , MARCE , tuis sat est  
 Arrisisse semel. Nuda Laconicis  
 Indulgentia fibulis  
 Dissolvit teneræ lora pueriæ.

Laxus

Laxus  
 Si  
 Qui  
 Aut  
 Si  
 Acc  
 Tracta  
 Gem  
 Gradi  
 Auris  
 Inclus  
 Quid  
 Imbelles  
 Rapo  
 Indias  
 Vel  
 Cur adim  
 Qua  
 Balburi  
 Cur  
 Qua  
 Incu  
 TAN  
 Spa  
 He  
 De  
 Duran  
 Se  
 Quan  
 Fla

Laxus marcer Amor ; rosis  
 Si consanguineos vellat aculeos.  
**C**ui thoraca adamantium ,  
 Aut squamis rutilas iucoquis ocreas ,  
 Si languet Tyrianthinis  
 Acclinis puerum tibia stragulis ?  
**T**ractabit galeam manus  
 Gemmatis patiens urier anulis ?  
**G**radivi strepitum feret  
 Auris pensilibus nupta coralliis ?  
**F**ractus deliciis puer ,  
 Quid non molle statim junior audeat ?  
**I**mbelles alimus Phryges ,  
 Rapturos Helenas ; si vel Ionicam  
**I**nfans sudet ad exedram ,  
 Vel culto referat crine Cupidinem .  
**C**ur admittitur osculis  
 Quidquid turpe , loqui nefcia , patrio  
**B**albutit soboles sinu ?  
 Cur torpet scuticæ muta necessitas ,  
**Q**uae morum teneras nives  
 Incusso foveat turbine verberum ?  
**T**ANCREDINE fuit , fuit  
 Spartanis potior matribus indoless ;  
**H**æ lactentia tetricis  
 Delassata flagris pignora vulnerum  
 Durarunt patientiâ :  
 Sed latrare , pudor ; flere , nefas erat ;  
**Q**quamvis faucla largius  
 Flerent sanguineis ilia toribus .

Hinc

Hinc per scuta , per & cavae  
Concessum pueris repere buccinas ,  
Jam tum sponte rotantibus  
Vix torquenda rudi spicula brachio .  
Sic novit catulis Lea  
Getulo tonitru inferre ferociam .  
Vivax nobilis ingenii  
Lenta tabe perit , ni colitur , frutex .  
Crebram buxeus Hercules  
Ni falcem subeat , sentiet eripi  
Vernæ luxuriæ comæ  
Octæis Libycum tegmen ab artubus .  
Ferri vulnus eburneis  
Dat signis animam : quæque diu tulit  
Testudo rigidum premi ,  
Captivum sonitu reddet Apollinem :  
O mitem puerilibus  
Cautus figat Amor blanditiis modum !  
Squamis implicitus puer  
Se lunantis hydrae , forte minus trucem  
Lethi duceret aleam ;  
Quam si blanda foret sarcina SIMIAE .  
Alcon nam fieret parens ,  
Qui spiras jaculo solveret anguibus :  
At matrem metuo , nimis  
Ne blandita ferat SIMIOLO necem .

\* \* \*

EN-

## ENTHUSIASMUS.

Cum in calvam naufragi prope  
littus PANORMITANUM  
Vates incidisset.

AD SOCIOS.

## ODE XV.

**A**Rtamne tellus exitiis viam  
Stravit, sodales? an speciosius  
Perimus undis? cur relictais  
Sylva jugis abiegnna Nereum  
Prætexit umbrâ? Gemmea si foret  
Malea ponto, vel liquido satur  
Spumaret Hellespontus auro  
Vel fieret modulata phocis  
Fragor Capharei, debuerat tamea  
Arcere pinus ebrius Æolo  
Neptunus, assuetusque Triton  
Ære graves hilarare Parcas.  
Festas, Decembres inter anhelitus,  
Olim carinas alta quies diu in  
Portu soporavit: nec ullam  
Jussit aquis dare vcla Pristin;  
Ni feriati dux Aries chorî,  
Missis secundo vere favoniis,

## 190 LYRICORUM

Pacasset æquor. Nunc liburnas  
 Per mediam juvat ire brumam.  
 Frustra Vesovo littora clauderet  
 Vicina Doris vel stygis alveo :  
 Ulro per objectum frequentes  
 Irruerent Phlegetonta puppes.  
 Quos non avaræ mercis amor sacros  
 Irritat ignes ? si tumidâ vehi  
 Liceret undâ , nos amicis  
 Sponte suâ genuislet aptos  
 Natura squamis. Quod vetuit , tameq;  
 Conamur , ipsa vindice : cui satis  
 Est fulciendæ quidquid altis  
 Fudit humus proavita fulcis.  
 Natalis omnes forte piget soli ,  
 Tellusque sordet ? me duce tutius  
 Findamus æquor. Nant corusco  
 Astra salo , rutilisque serpunt  
 Crystalla spumis : molle smaragdinum  
 Illic flagellant littus Etesia ,  
 Pictaque luctantur procella  
 Squamigeri fluitare lusus.  
 Lunare dorsum suetus Arioni  
 Delphin reclini nos numero vocat.  
 Docetque sublimes periclis  
 Per superas equitare syrtes.  
 In vincla torquet nautica lucidos  
 Astræa crines , queis trahat igneam  
 Post terga proram. quâ corusco  
 Illa fecat maria alta rostro ,

Scia-

DRUM  
liberas  
e bruman.  
dender  
reco:  
ntes  
puppets,  
or lacry  
i

L I B E R III. 191

Scintillat humor nec pretiosius  
E fabulosa Colchide flagitat  
Auferre tergus : nempe fulvum  
Ipsa suum sibi vellus Argo est,  
Datura flammis carbasa. Fulgidis  
Illic balænæ naribus æstuant,  
Tutaæ ruinis per latentum  
Crysolithos scopulorum acutos.  
Nam tacta cautes gemmea belluis  
Mollefcit ultro ; seque liquentibus  
Recludit electris , in udas  
Mox iterum solidanda gemmas.  
Est & venustis Erigone genis  
Pudica Siren. Thracia Pleiadas  
Teftudo compellit marinos  
Nereidum simulare saltus.  
Illic propinquum Sirius annuit  
Scyllæ latratum. Cornua credimus  
Taurina , quæ curvantur auro.  
Et radiis tumefacta pulchram  
Turgent in iram : recta tuentibus  
Sunt piæta curvi littora Bosphori ;  
Quà cancer errat ludibundis  
Per Thetidos frera fulva chelis.  
Cur Hydra fertur , quæ natat igneis  
Muræna lymphis ? cur olor , aut Jovis  
Jaſtatur Ales , quæ per algam  
Ceu Fulica infidiatur altris ?  
Quot , ni profundi crassius aëris  
Obſter veternum , vividus iſulas

Potaret obtutus , vagoque  
 Cycladas ex adamante struntas  
 Rapi choreis , ad crepitum lyræ  
 Ludente lymphâ ; quò propior suam  
 Phaselon appellit Voluptas ,  
 Astringeris dominata phocis ?  
 Adhuc moramur cominus auream  
 Sulcare votis Dorida navitæ ?  
 Solvamus alnum ; nec profanas  
 Ulterius feriamus undas .  
 Valete Phorci regna curulibus  
 Lustrata squamis . Tollimus arduas  
 Enavigaturi procellas :  
 Jam facilis favet aura votis .  
 Jam jamque lucis marmora verrimus .  
 Sed cymba fractum sponte tulit latus .  
 O mergeras hoc , Divi , periclo !  
 Si dabitur periisse , vivam .

## PROTEUS CYPRIUS.

*Sive,*

Multiplices Cupidinis fallaciæ , à  
 quibus FULVİUM ROSAM ,  
 Parthenium adolescentem Vates  
 absterret .

## O D E XVI.

**B**Ibit audax Cythereæ Puer Ales ,  
 ROSA, PROTEU<sup>M</sup>; simul hausit genitricis  
 Face

LIBER III. 193

Face vires , nocituro jaculantes Paphon  
arcu.

Ruit ille è Jovis altâ pugil Idâ,  
Cataphractus rotat hastam. Fuge cauto  
Pede bellum , patefecit generosum fuga  
Parthum ,

Nec ahenis spoliatus puer armis  
Minus est perniciousus : nocet umbrâ ,  
Nocet aurâ , velut Afram basiliscus pec  
arenam.

Catus idem pharetratus fieri auceps  
Linit ingens nemus Hyblâ. Fuge viscum ,  
Latet hic insidiantum fabra fraus illece-  
brarum.

Modo vox est philomelæ , modo blandâ  
Prece Siren. Sitientes cito claudas  
Vigil aures : vocat ipso modulatu Libi-  
tinam.

Viden illum ? Secat Euros , & ab astris  
Tonat usque , & pluviali fluit auro.

Cave rorem : sterilescit rubicundo hoc  
humus imbri.

Ubicunque est simulato vagus ore ,  
Erycina satus alvo , fugiendum :  
Capit auro , prece suadet , dominatur pug-  
gilatu.



I

DA-

## DAVIDIS LYRA.

*Sive,*De Ultionis contemptu Carmen  
Paræneticon.

## ODE XVII.

**S**Uadeo mergas, Citharœde, ponte  
Docta paulatim modulante nervo  
Plectra Pellæas furiare torva  
Gorgone fibras.

Gratius nostris Solymæa curis  
Buxus arridet. Domat æstuantem  
Illa Cissiden, tumidisque mulcet  
Sibila spiris.

Magna conabor: licet ipse fictus  
Sim luto Yates, animavit cæstro  
Barbiton Phœbus, numerisque blandum in-  
fudit Hymeton.

Ergo per cælos elephas rudentes  
Jussus incedit, famulæque tigres  
Essedo parent; sibi nemo pulchras  
Arctat habenas?

Ursa, quæ mites rapit ad monauli  
Næniæm rictus, choreasque plaudit,  
Inerepat quotquot gerimus profanis  
Faucibus hydras.

Arguit stultos, timidosque præceps  
Ira: coatemnit leo feriato

Felic

Felle latratus. Pelago lacefit  
Spuma cachinnos.

Socrates atro stimulatus igni  
Abstinet flagris. Riguissē fas est  
Nesciam sese cohibere turpi  
Verbere dextram.

Non apes tantum percunt cruento,  
Quo ruunt, rostro, violenter acta  
Eruoscendam repetunt eandein

Tela pharetram.

Flammeum venis quod alit Vesevus  
Sulphur, excelsum minuit cacumen.  
Se premit, quævis rotat in sagittas  
Bellua spinas.

Hinc jugum victo positum Garumnae,  
Et triumphato pedicas Canopo  
Cantus injectis sibi Cæsar, acrem

Mitis in hostem.

Phocion jam jam facili cicutam  
Ore poturus, vetuisse fertur  
Vindices iras, & inusta nato  
Signa doloris.

Ferveat raucâ muliebre rixâ  
Pectus, & mollis puer in tenacem  
Lapsus argillam quatiat protervo

Calce periculum.

Dedecet curvo metuendus unguis  
Vultur Heroes. Fodit usque fibras,  
Et cicatricem refricat vetustis

Ultio probris.

Quæ Clytum stravit gravis hasta , regi  
 Fert Alexandro lacrymas , & ingens  
 Tædium vitæ : siquidem cruento in  
                         Vulnere vulnus  
 Gloriæ sensit. Glaciare bilem  
 Reddedit magnos. Animosa regum  
 Dextra non ferro tonat , at liquenti  
                         Depluit auro.  
 Sæpe conceptis tumuere larvis  
 Mobiles æstus , stomachique fluctus:  
 Sic recendentem violenta surgit  
                         Aspis ad umbram:  
 Sic rubens taurum color , & leones  
 Mappa proritat. Pudeat ferarum  
 More surgentem furialis iræ at-  
                         tollere molem.  
 Hæc Thyestæas epulas trecentis  
 Vallat Harpyis ; juguloque fratum  
 Tristis insultat , Pyladique notum  
                         Vellit Orestem.  
 Hæc solo magnas simul æquat urbes:  
 Savit in glebas crepitante rastro,  
 Et suos figit , satiatque presto  
                         Vomere moïsus.  
 O quis inflatum jecur , & furentem  
 Leniat , me sic modulante , tedam !  
 Hic PALESTINI mihi VATIS auspi-  
                         catur honorem.

AN-

# ANTRUM TROPHONII EXCANTATUM.

*Sive,*

Lætus Animus.

AD HILARIUM LÆTAVALLEM.

## O D E XVIII.

**A**UT rugas, HILARI, deme supercilię;  
Aut nomen piceā dilue sepiā;  
Si nolis tacito prætereuntium

Exalbescere sibilo.

Corvo distat olor : turpè Laconicam  
Fert dorso trabeam simia : fulgidis.  
Irridentur equi Ditis Alastores,

Si comantur ephippiis.

Quod votis facile est, quodque magis decet,  
Incurvata genis nubila candidæ  
Risu lucis agas ; quò fluat intimæ

Largus lætitiae dies.

Urbanæ refugit cultus adoreæ,  
Vulgatumque sophos tristitiajugo  
Subimisissē togam. Pellitur omnibus

Heraclitus ab exedris.

Quod, visa veluti Gorgone, sordidam  
Pavit perpetuis Pallada lacrymis;  
Cupresiuque regi tempora maluit,

Quam densā plantani cornū.

I;

Q quis

O quis Democrito rege , TROPHONII  
Excantet caveam ! Mergite lacrimis  
Venis astra rotas , & tetrici specus

Fuscos tangite pumices.

Cur vivax animi torpeat indoles  
Tristi victa situ ? Cur hilares fibras.  
Et vultus hilarem quælibet arceat

Vis arcana modestiam.

At non sulphureas illa Typhoëos  
Fumosi nebulas , nec piceum gelu,  
Quod sensim Calabro cortice truditur.

Porrecto jugulo babit.

Quamvis mens luteum sentiat obijcem.  
Nil servile paver : fertur anhelitu  
Plus quam Pegaseo , si cieat suæ

Libertatis Etebias.

Hinc sese famulam vindicat omnibus  
Fortunæ pedicis , queis fatuos metus,  
Ærumnasque graves urget , & alitera

Froenat casibus aleam.

Cui fraus innocuis exulat iliis,  
Quos luctus metuat : nubibus hispidis  
Componet lepidum fœdus , & auream

Vultu deteget iridem.

Poscer turbineis otia præliis,  
Funestis liquidum nectar ab imbris,  
Strictâque Orionis cuspide gemmeam

Flavo fulgure grandinem.

Hæc discas HILARI , teque recentibus  
Afflatum radius plumeus ingenii

Cœlo sifstat honos. Sic tetricæ domus  
Execrabere compedes.

## O PARVUM.

*Sive,*

IMMENSUM DEI NUMEN  
EX INANITUM.

Humanæ felicitatis CENTRUM.

AD THELESPHORUM MARULLUM.

## ODE XIX.

Quocunque telum missilis ingenii,  
MARULLE, torques; seu ferias polum,  
Pontique, terrarumque tractus,  
Seu vacuos super astra fines;  
Occurret ingens insula Numinis.  
Captare velles, quod facile est, tua  
Tactum pharetrâ, sed colorum  
Quis sit honos, & imago prædæ,  
Quamvis acuto lumine Lynceus,  
Nusquam videbis. Divite fulgurum  
Hebescit obtutus procellâ  
Saucius, impatiensque fies  
Ter evibrati noctua Cynthij.  
Venare parvum Virginis incolam  
Alvi Tonantem; quo laboras  
Posse frui, potiere voto

Hic ille princeps ALPHA, THELESPHORE  
Idemque rerum circulus, OMEGA,

Se clausit in mortalitatis  
Exiguum, teretemque gyrum.  
Mox parvus infans in paleis, specum  
Plorare fusalit fata tricuspides

Sensura clavos; donec olim  
Triticeum peraravit orbem.  
Vivi Character Numinis. Aureus  
Amoris hic est anulus, anulus

Pio recurvandus Sacerdotum  
Imperio, Latioque ritu.

Quodcumque posces, uberior sacræ  
Felicitatis vena dabit. Deus

Hic explet ad nutus clientum.  
Quæ cupido jaculantur arcu.  
Inauspicatum theta reus timet,  
Demique velles vincula brachiis?

Tribunal offendes decorâ  
Textum olea, viridique lauru.  
Ne sis egeno deterior Codro,  
Fit dives ostro stamen, & igneo

Pyropus auro: ne Gradivus  
Pila rotet, tibi ridet Iris.  
Venaris arcu? Nazareus Leo,  
Idemque fulvi velleris Hinnulus

Occurret, aut gaudens pudicâ  
Rhinoceros solymæus umbrâ.  
Arridet altum Nerea scirpeis  
Yallare nassis? Cedet in aureos

Fluctus Erythræ , qui nivosis  
Stagna ferant opulenta baccis.  
Cum latrat alvus , Ros tibi defluet,  
Proteus saporum : sive jecur velis  
Affum siluri ; sive pastum  
Vellus Hyblâ ; Vitulumve matris  
Vulsum papillâ ; seu Salomonias  
Quotquot coércer cœna paropsides,  
Seu quotquot Affueri palato  
Bella ciet pretiosa nidor,  
Siticulosas ignea polluit  
Si crusta fauces ; Botrus erit Cyprî;  
Aut lac propinatura Tellus,  
Et liquidum sine face mulsum  
Longæ recusas aspera perpeti  
Crystalla brumæ ? Veris Etesias  
Spirabit , Aprilemque ducet  
Nazareo fatus igne Taurus.  
Quòd si supinæ parcus inertiae,  
Contaminatam spernis humum ? fugax  
Evadet Ales , qui lassissat  
Ad volucres tua crura nisus:  
Aut axe fulvo Rheda, curulibus  
Instructa flammis ; quòd citius queas  
Sublimè luctari videndus  
Astrigeræ novus hospes aulæ,  
Hanc ergo tantum vel tenuissimam,  
MARULLE , quæras discere Litteram:  
Lauru coronabis laborem , &  
Vota piis animata tedis.

## TACTUS SENILIS ARTERIÆ

sive,

Nimia in senibus vivendi cupi-  
ditas deprehensa.

AD TARQUINIUM CÆLESTINUM,

O D E XX.

**A**ffines tumulo dies,  
Et frontis vetulæ canitiem suis  
Constanter präeuntibus  
Senes dilacerant fata doloribus.  
Nos putris senij tamen,  
Proh pingue fatuâ labe licentiam!  
Augemus mala, neutquam  
Expugnanda solo; que tulit aureo  
Lotus flumine rex Midas,  
Aggestisque redux cura pecunijs.  
Num fulcos steriles genis  
Fœcundat rutili sacra Tagi fames?  
Num guttata Carystio,  
Aut Pelusiaco fulta domus gelu  
Tardat funeris orbitam;  
Vel priscæ revocat iusta pueriz?  
Si proni capitis nives  
Nos curvant tumulo, non secus ac chalyba  
Cel-

Celsas deprimit ilices,  
Cur æquamis Atho , vel Pholoes jugo  
Laxum Mygdoniæ sitis ,  
Quam livor piceo gutture polluat ?  
Heu quis fortiter occupat ,  
Enervesque quatit morbus atrox senes ?  
Exploremus idoneas  
Venarum latebras. Me Podalirius ,  
Phœbi numine turgidus ,  
Præfeccit senij febris arbitrum.  
Nec suffragia Pœonum ,  
Vel qui pergamoæ legibus exedræ  
Norunt plaudere , dissident.  
Lambit libra suo pollicis osculo  
Nunquam fallere callidum ,  
Qui nunc languidulo prodit anhelitus  
Lethi oblia spiritus ;  
Et quæ nunc celeri mobilis impetu  
Promit sollicitam sitim  
Ætatis Pyliæ vena , nocentium  
Index vena cupidinum.  
Proh quam dira nimis palpitat anxiiæ  
Tabes in senibus ! bibt  
Seræ lucis amor finitimam Stygem ,  
Umbrarum assiduus comes ;  
Quamvis nil paveat , quam recubantium  
Limen tangere Manium ,  
Et fessam tumulo reddere sarcinam .  
Morem nosce tamen senum .  
Quo plus bruma pigro vertice canuit ,

Plus tentatur adulteris  
 Frustra cæsarie roribus illitâ,  
 Fati ludier alea.  
 Sed mentita nigrum canities caput  
 Haud fallet Lachesis : comæ  
 Fucatæ tenebras Parca supervolat.  
 O quisquis senij nives  
 Gaudes Halcyonum credere solibus,  
 Jam uunc secula Nestorum,  
 Et vîta querulam neglige næniam.  
 Non lapsura lucraberis  
 Divum fidereis otia finibus,  
 Si vivacius ultimo  
 Pallesces cineri : cùm tumuli memor  
 Spes , & vota cupressino  
 Adstringes feretro . naufragus ut suam  
 Uncis navita morsibus  
 In portu reducem nexuit anchoram.

---

## CAPITOLIUM TACTUM FULMINE.

*Sive,*

Fortunæ sese turpiter efferentis fastus  
 plerumque dejectus , pro-  
 fligatusque.

### O D E XXI.

**A**udistis ? ohe ? Quis fragor horridus  
 E nube lapsus mugit , & vago

Tri-

LIBER III. 205

Trisulcus igni deslagrantem  
Secum hyemem , volucresque secum  
Volvit ruinas ? sit genibus minor;  
Ni se minorem vertice lugeat,  
Tarpeia rupes. est Pronoeæ,  
Quod tonuit modo fulmen , ira  
Velox ad imum vertere cardinem  
Potentiorum culmina , gemmeis  
Illusa monstris ; & tumentes  
Regum apices , trabeaque dites  
Nudare fastus. Marcida Romulis  
Ruunt theatris Stemmata Tarquinii;  
Postquam superbis Vaticanam  
Imperiis remefecit aulam.  
Fumat cruentis icta bipennibus  
Ementientum laurea Cæsarum  
Calcare nimbos , & supernis  
Cœlitum dare jura valvis.  
Neroniano qui CAPITOLIUM  
Scandit cothurno , funereas ager  
Vices tragœdi , mox futurus  
Fabula ludibriumque vulgi  
Librantis æquo sibila calculo  
Insanientes plurima deprimit  
Vertigo conatus. nec atræ  
Frons eadem est , & imago scena.  
In luctuosum sæpe recluditur  
Repente præceps regia carcerem.  
Ruitque , & hostiles adorat  
Deciduum diadema plantas.

Rubiginosis haud semel osculum  
Dedere regum sceptra sigonibus;  
Strinxitque ahena falce culmos  
Sueta manus secuisse palmas.  
Torquata cristi versicoloribus  
Fortuna plures educat Icaros;  
Ut fulva stellarum theatra  
Degeneres petiere fastus.  
Immota perstat, nec revolubili  
Rotanda fati turbine, quæ memor  
Eduxit effultos profundo  
Aula suos adamante postes,  
Parvoque fasces yimine nexuit,  
Nec sprevit alas demere plausibus;  
Si forte palpa tum susurro  
Plus nimio placuere plausus.  
Imâ trabales Gloria cuspides  
In æde fixit. Præscius ut suam  
Momordit osculatus umbram,  
Imperium Latiale fulsit  
Brutus lacertis. Rex figulo satus  
Poscit patellis fictilibus dapes:  
Rudemque Pimislauis lacernam  
Finitimo sociavit ostro.  
Rex esse novit, qui luteum dedidit  
Curis soporem. Pavo superbiam  
Enervat, ut plumâ carentes  
Forte suos videt ille gressus.

ARCHI-

## ARCHIMEDES

CHRISTIANUS

In sui pulveris meditatione  
affiduuus.AD VALERIUM STELLAM,  
Siculum Geometram.

## ODE XXII.

**M**Etiris Valeri, cum Babylonis  
Pallecas numeris, quidquid Atlantico,  
Et quidquid fabuli syrtibus Africis  
Pœno vapulat Æolo.

Incertum solidæ laudis opus paras,  
Si quantus cinis es, quem modo fulciat,  
Inclusus iureo margine spiritus,  
Ulnâ deside negligis.

Semet nosse dedit quemque Geometram,  
Archytanque sui. Non Siculo minor  
Euclide est, digitii cuspide qui legat  
Incisas tumulo notas.

Solertes Phariis scire decempidis,  
Vel quot sunt atomi, cedite Clavii.  
Est languentis humi linea corporis,

Nostri littoris angulus,

Quod

Quò præceps tumidæ spuma superbiæ  
 Vectigal properat ; seu fluitantia  
 Poscat nobilium stemmata Cæsatum ;  
     Seu vilis petaſum Codri :  
 Quamvis ambiguo lumine nescias ,  
 Quæ major fuerit , quæve minor freto  
 Festinata Thetis : dissimilis tumor  
     Æquo frangitur impetu .  
 Frustra post epulas nos Eratoſthenem  
 Mentimur , quoties dividimus merο  
 Arces , quæque ferunt proxima cœrulis  
     Urbes oscula nubibus .  
 Pulvis dejicit . serius , ocyus ;  
 Dilapsas feriet vomere villicus .  
 Æternum nihil eſt : nos quoque ferreis  
     Sternunt fata bipennibus .  
 Ictum nemo tamen , nemo perhorreat ,  
 Qui ſe finitima composuit pyrā .  
 Ut non parva ſuis commoda cœibus  
     Extinctus pareret Solon ,  
 Spargi per Cypriam jussit humum pios  
 Combusti cineres funeris . æmulus  
 Tanti , STELLA ; viri es . non alio tuum  
     Mergas pulvrey verticem ,

):( o ):(

MÆ.

## MÆNOMENON.

*Sive,*

Mel Ponticum , adigens ad  
insaniam.

*Ex Plin. lib. 21. cap. 13.*

Symbolum Voluptatis.

## AD PAMPHILUM PALMAM.

## ODE XXIII.

I Nauspicatum è flore suo legit  
Nectar Voluptas , seu juvenilibus  
Pubescat annis , seu nivalem  
Polluat horridiore luxu  
Brumam senectæ : num fata Ponticis  
Est illa pratis , Pamphile , cum semel  
Admissa vix possint trecentis  
Anticyris sua mella solvi ?  
Fit hausta venis dulce malum , tenax  
Fuligo mentis , spuma beneficis  
Sudara labris , & pudoris  
Innocui furiale virus.  
Hac fæce potâ , Numinis immemor  
Dat thura fœdis rex Salomon focis  
Nec spernit Alcides superbâ ,  
Quâ tumidam tremefecit hydram ,  
Nessum.

Nesolumque fregit lanigeram colum  
 Tractare dextra. Quantus adulter<sup>x</sup>  
 Post fulta descendens tumultus  
 Iliacas quatefecit arces ;  
 Heu fune Phyllis, Laomedontio  
 Elisa ferro concidit , Iphias  
 Exusta flammis , seque Sappho  
 Leucadiâ jugulavit undâ.  
 Cur pœnitendam , PALMA , sitis Hyblam ?  
 Fellis medelam respuis ? ungito  
 Hoc rore palpebras , videbis  
 Quam cerebro ferat illa cladem.

---

### LAURUS INAURATA

potius quam decussa  
 fulminibus.

Sive ,

SS. HEROUM pro CHRISTI FIDE  
 obeuntium Patientia , inter  
 cruciatus conspicua.

### O D E   XXIV.

Qualis , caniti<sup>e</sup> acclinatibus Ismari pruinis ,  
 Ceraunisque frondeum cacumen ,  
 Cum tonat Orion Jovis æmulus , igneaq; Cælo  
 Latè coruscat fulminum procellam ,

Im-

Impavidum in sylvis caput erigit, excipitque  
LAURUS

Tonantis iræ missilem Typhoëum,  
Et formidandæ facis allicit, ac precatur aurum,  
Suis renoder frondibus monile:  
Talis inoffensas cruciatibus hinc, & inde  
palmas

Audax ahenas perpeti fecures, [mis  
Aggestaque cruceis vis educat Orthodoxa tur-  
Sui cruoris imbre purpuratis.

Ipsa Quirinales Patientia terruit bipennes,  
Jussitque in aurum palluisse ferrum,  
Quò sibi conflaret flaventibus infulis coronam.  
Lætumque pœnis posceret tributum.

Vidimus è cœvis nigrantibus exilire nubem  
Veris corusci, fulgurumque nimbos:  
Nec minus aut pluvio silicum ferientiū rotatu  
Rubere geminis nexilem tiaram;  
Aut fluere horrificis auras Zephiritides caminis,

Potaque rores Atticos cicutā.  
Quis didicisse feras à tot patientiæ magistris  
Perferre ventris censeat latratum?

Aut tigres blandis amplexibus, osculoque  
Divum  
Intaminatas obsidere suras?

His equidem nunquam spectacula vidiit Ex-  
quilinis

Majora pulvis Martius theatris.  
Sponte sua docilis mollire ferociam, pepercit  
Quandoque cuspis imperare vulnus,

De-

## 212 LYRICORUM

Donec multiplices furiare satellites in ictus  
 Novis Medusa cogeret chelydris.  
 Vix lassis plerumque bipennibus amputata  
 cervix  
 Imos momordit osculo novales,  
 Cum tellus festinavit generosius resectis  
 Fudisse fontem lacteum papillis.  
 Nec sua Neptuno vis defuit obsequentis undæ,  
 Aut iussus Euris, ætherive plausus,  
 Vidimus HEROUM ad cineres, & inobru-  
 rum cadaver  
 Fido volucres excubare rostro;  
 Et circumfusis tumulum superintegi favillis;  
 Curvante Cœlo Pleiadum choreas.  
 Nec semel aut ponto suspeximus enata e funus  
 Nexâ cruentis anchorâ lacertis;  
 Aut exturbatis utrinque furentibus procellis,  
 Cesisse retro Nereos tridentem;  
 Et niveum mediis in fluctibus erigi trophæum,  
 Quod sæpe saltu mugiles coronent.  
 Frustra terrificis tonuit Nero dirus officinis.  
 Suisque raptus Julianus hydris.  
 Vicit vincia, rotas, hastilia plumbeoisque fastes.  
 Pinguesque Virtus Vaticana teda.  
 Cui non palloris vel gutta, vel horridus profano  
 Metu serenum polluit capillus.  
 Ausa suos vitæ dispendia contudisse fletus  
 Bibere fætum gaudiis Hymeton.  
 Nam quæ purpureis solatia naviganda Divis  
 Dedit rubentis alveus cruoris?

Quas

Quas non ille tulit ripâ locupletiore palmas,  
 Mitrasque centum textiles pyropis?  
 Inconcusa Fides per Fulmina fœvientis iræ,  
 Per & sequaces fumerum ruinas,  
 Attollit Latissimis Capitolia digniora clivis,  
 Vel infulatis Laureata pœnis.

---

### IGNIS EXAMEN

Pro incontaminato Divinæ Genitricis Conceptu.

Juxta illud Psal. 16.

Igne me examinasti, & non est in  
 me inventa iniquitas.

### AD REGINAM VIRGINEM.

#### O D E    XXV.

Integrum vitæ, niveique cultum  
 Ingeni solium patefecit olim  
 Prisca lex IGNI, siquidem rubenti  
 Curia ferro;  
 Ne reos inter numerares, explo-  
 tabat insontes! etiam corusco  
 Siderum dorso bene fulcientum  
 Atria Divum  
 IGNEA surgit trutinâ tribunal.  
 IGNEO vivunt adamante leges,

Et

Et flagrant IGNEI trabeata per sub-  
sellia cœtus.

Erubescendos tulit huc priores  
Quisque vagitus , piceosque soles :  
Quos profanatâ pueri parentum  
Duximus alvo.

Nulla lanugo sine fraude vernis  
Floruit malis : paliurus igni  
Aptus erupit , fatuâque texit  
Fronde juventam.

Quin & hærentes senio pruinias  
Ater infecit Boreas , ab imis  
Excitus fibris : nihil heu decoram  
Educat umbram.

Ergo quodcunque est vitii , vel ipsis  
Institum cunis , patet ad severum  
IGNIS EXAMEN ; patet & fidelis  
Vena metalli.

Fallor ? an velox salit in stateram  
Diva quæ pulchras adolevit inter  
Numinis flamas ? procul o profani !  
Flectite gressus.

Omnis immunem vitii Virago  
Extulit frontem. babit illa puræ  
Lucis afflatum ; radiosque , & aurei  
Fulgura solis ,

Ante quām Titan tenero jugalem  
Defatigaret Pyroënta morsu :

Ante quām nossent yaga vagientes  
Astra choreas.

LIBER III. 218

Cærulis nondum volitabat undis  
Pinus, at Virgo pretiosioris  
Divitem mercis religarat ultra  
Nubila proram.

Hinc, & hinc fusi redimita clivis  
Montium nondum viruisse tellus  
Cœperat; Sacris tamen illa festi-  
nabat in horris.

Aut Idumæam simulare Palmam,  
Aut Cedri intonos agitare fastus.  
Cui volatueros solymæa pestat  
Aura capillos.

Ante quæm Chloris strueret nivalem  
Liliis pompam, niveus Tonanti  
Flos delicebat. glacialis ante  
Quæm foret humor,  
Densa crystallus; solidumque, & expers  
Labis affulxit Speculum; quod omnes  
Redderet rerum simul absolutâ i-  
magine formas.

Floreos illi sinuarat arcus  
Iris, adversam prius imminentem  
Quæm coloraret radioque & igni  
Delius umbram.  
Flammeos nondum crepitus Vesè*v*i  
Senserat tellus; tamen arsit infans  
Virgo, quæ visa est Rubus, innocentis  
Præda favillæ.

Tunc inoffensam maculâ puellam  
Candidâ visum rapuisse bigâ,

Et

Et triumphales iterasse plausus  
 Numen Amoris;  
 Qui Patris Natam, Sobolisque Matrem,  
 Et Paracleti sine labe sponsam  
 Censuit Divam, geminisque stravit  
 Sidera plantis.

---

MONOMACHIAE  
 GENIUS  
 INGLORIIS A VATE  
 notis inustus.

ODE XXVI.

**F**Atale quodnam dedecus arguit  
 Durata ferro secula, ni decus  
 Ferro petitum? proh pudendas,  
 Ne solidâ sine labe leges  
 Exasperatâ quas Styge censuit  
 Pluton, cruentâ tabe ferociæ  
 Turpè exarandas, quò profanis  
 Impriméret nova monstra prælis!  
**A**niciani stemmata sanguinis  
 Custodit hirtis Ultio palpebris  
 Non pulchra Virtus, non decoris  
 Mens animi pharetrata curis.  
 Quin illa magnis vellit ab atriis  
**A**vita quotquot molle supercilii  
 Pondus, Dynastarumque spirant  
 Ingenuos simulacra vultus.

Imā-

Intago torvum quæ rigeat, placet:  
 Quique amputatis fert topiariis,  
 Mentitus horrorem Medusæ,  
 Frondifluam Caracalla pugnat.  
 At in videntes tutius irides  
 Curvaret arbor tonsa superbiam:  
 Ne discat insanire Martis  
 Effige cataphracta buxus.  
 Nos ludit æther, cum rotat igneum  
 In astra sicam fulgor Orionis;  
 Aut Sol, coruscum pervicaces  
 In nebulas ubi torquet hastam.  
 Natura nunquam credita turpiter  
 Peccasse; quamvis in Lacedæmonum  
 Nudo laborasset sariissam  
 Artificem simulare tergo;  
 Aut Castrioni fingere Dædalum  
 Ensem lacertis. Splendidus incubat  
 Furor medullis, cui reservat  
 Molle manus generosa ferrum.  
 Mitescit ultro lancea lacteis  
 Impressa cunis. Ira domesticas  
 Quæ fregit, allisitque spiras,  
 Haud sterilem sibi querit hostem;  
 Nec laurus etsi Pontica misceat  
 Sensim coortis prælia jurgiis,  
 Honoris obsidebit aram  
 Belligeris operata votis.  
 Ranas loquaces negliget, & suos  
 Pacabit æstus; quos ubi patriæ

Tutela deposcit , libenter  
 In Geticos glomerabit arcus.  
**U**xoris olim Niliacæ virum  
 Non absque plausu reppulit impiis  
 Cæsar lacestitus tabellis.  
 Sic pamilos pepulisse fertur  
 Formidolosæ naris anhelitu  
 Prædator Orci , claviger Hercules.  
 At nunc ineptus concitatis  
 Quisque suis famulatur hydris ;  
 Hostique nescit non inamabili  
 Despectionis lege proterviam  
 Prorsus serenare , & Megæram  
 Æthereis cohibere philtris.  
 Num , ni litetur sanguine strenuis  
 Ceris avorum , decidet aridâ  
 E fronte majestas ? Peremptum  
 Ni videat Gladiator hostem ,  
 Non ulla seſe Gloria candidis  
 Feret quadrigis ? Heu temerarium ,  
 Ferroque collectum furorem  
 Compositis prohibete rixis .  
 Sit fraudis expers , quæ Nemesis di  
 Exulceratum bile premit jecur.  
 Quicunque delinivit hostem  
 Ille suo metit ense palmas .



## IRIS SANGUINEA

Ut olim Anno 1604. visa Strigonij.  
Ex Chronologica P. Theophili  
Rayn. Soc. JESU tabula.

CHRISTI PATIENTIS  
Symbolum.

## ODE XXVII.

CUR non hiulcis mugiat iliis  
Succussa tellus , & piceum Phlegon  
Propellat axem ? Cur querelis  
Abstineat tremefactus æther ;  
Si , quæ Tonantis circuit infulam ,  
IRIS cruento vulnera decolor  
Sublime , suspendat dolorum  
Iliadem , lacerumque funus ?  
Pro nube , clavis fixa trahalibus  
Quercu pependit ; pro radiis , rubos  
Admisit , & trinam colorum  
Temperiem rubefecit ostro .  
Curvum reclini vertice , quod potest ,  
Designat arcum ; quem generosius  
Lunaret amplexura , morsus  
Ni chalybum vetuisset , orbem .  
Pinxit supremas hic moriens suas  
Amor columnas , cui bene contigit

Inter Palæstinos dolores  
 Non humilem tetigisse metam.  
 Dixitque , fulvos cùm peteret lares ,  
 Præsagus Ales ; cui speciosius  
 Curvabat hæc IRIS lacertos  
 Nazareis radiata plagis.  
**U**t purpuratam nuper in IRIDEM  
 Flexi Tonantem ; nubila gratius  
 Nupsere terris , nec laborant  
 Fulmineis hyemare nimbis.  
**A**eterna spirant classica yivido  
 Clangore pacem : spicula liliis ,  
 Lauruque Rhamnusis coronat ;  
 Dite graves iterante fletus.  
**H**oc sub trophæo fert hilares minax  
 Fortuna lusus. Fata metunt rosas ,  
 Visoque vexillo salutis  
 Fessa cubat Libitina dumis.  
**A**t hinc eundum est : sanguineo pedem  
 Figamus ostro. Me duce , lacteum  
 Spernatur à tergo serenum  
 Purpureus secat astra limes.



---

VATICINATIO  
CHIROMANTICA,  
INFANTI DEO SACRA.

*Carmen ex Italico Latinè versum,*  
In gratiam HYACINTHI FERNANDII, qui illud musicis  
modulis expressum  
concinuerat.

O D E XXVIII.

TRANS Idumen , & coruscum  
Limen Euri , Vagientem  
Forte brachiis Tonantem  
Diva fulcens remotos  
Ibat Austros ; quà Canopus  
Mollientis arva Nili funerat superbiam,  
Vix eoo fulvus auro  
Phœbus igneā rigarat  
Terga montium procellā .  
Cū paternis exulanti  
E penatibus parenti  
Se per invios recessus ANNA Vates obtulit.  
Heu furentis arma regis  
Diva fugerat , propinquai

Tuta pallio mariti.  
 Pignus interim premebat  
 Mille ludis oscularum,  
     Mille vindicans ab irâ frigorum suspiriis.  
 Ut seniles in puellum  
 ANNA palpebras retorsit,  
 Hausit incliti furoris  
 Triste flamen : quo Tonantis  
 Fata fleret. Inde pronas  
     Matris aures hoc momordit carminum præ-  
     sagio.  
 Astra sospiteat Amores,  
 Quos in ulnis feriatos  
 Diva servas. Quà reclinem  
 Ille verticem soporat  
 Gleba purpuret rosetis :  
     Quâque figit ille gressus, gramen auro palcat.  
 Mollicellam , Dive , dextram  
 Tende Vati' (lacrymosis  
 Mens inhorruit Camœnus,  
 Voxque deficit sub ipsum  
 Limen eloquî) pusillam  
     Tende dextram, cuspidato sauciandâ spiculo.  
 Qui tenerrimam volarum  
 Sulcus aream pererrat,  
 Dividitque longioris  
 Summa lineæ minaces  
 Signat arboris lacertos,  
     Qua tricuspidis metalli fixus unco pendas:  
 Heu venustulis rubescit

Gutta

Gutta pertinax ocellis,  
Turgidumque parva conflat  
Palma fidus. En latentum  
Tristis Ilias dolorum,  
Quam Cometes delicata pinxit alvo pollicis.

Fraude perfidi sodalis,  
Pœnitendo distrahēris  
Ære , fabulam datus  
Perduellium cachinnis  
Mox subibis hostis iram ,

Intonatâ sœvientum sub procellâ verberum.  
Astra crinibus recedent;  
Proque siderum tiaris,  
Hinc , & hinc figet cruentos  
Turba vepres , & genarum  
Molle vellus ut revellet;

Fulgur oris expuentum nimbus arte obruet.  
Ludibundo comptus ostro ,  
Vile sceptrum , rusticique  
Sortiere regis omen.  
Plebis interim protervam  
Mutus audies loquelas;

Execratis fige regem , fige quercus brachiis.  
Pars aheneos recudet  
Inde clavos : pars trabale  
Pondus imponet lacertis  
Vix ferentibus laborem.  
Ut jubatos inter unguies  
Pallet agnus, judicabis moestus innocentiam.  
Osculaberis timendi

Fata trunc*i*. Mox in altam  
 Erigere fixus ornum;  
 Quam rubenti delibutus  
 Imbre proluas, & aspros  
 Post tot exitus dolorū, fronte flexâ langues.  
 Vix revulsa lux supremum  
 Fundet artibus soporem;  
 Cum patebit vulneratum  
 Pectus hastâ. Tunc nigrantem  
 Phœbus induet lacernam.

Sauciisque fracta tellus mugiet compagib*as*.  
 Hisce carminum querelis.  
 Quas profudimus madenti  
 Voce lacrymis, supernos  
 Diva poscimus penates.  
 Sic tot eximat periclis.

Parvulumque Numen ingens Patris um-  
 bra protegat.  
 Ut puelli luctuosum  
 Funus audiit Virago.  
 Mille cuspidum sagittis  
 Sensit infodi medullas.  
 Inde fletu vagientem

Prosecuta Diva prolem, triste vulnus detegit.  
 Hisce pulcher educaris  
 Nate fatis? Sed cruentæ  
 Si trogœdiæ sacerdos  
 Destinaris immolandus  
 Quod recludas astra terris;  
 Vis Amoris imperabit, non loquela siderum.

LIBER